

Officium *in choro*, sed tantum *private* ratione s. Ordinis vel beneficii, non tenetur, nec etiam *private*, recitare in singulis Sabbatis in B. Mariae, et singulis quintis feriis in B. Matthaei honorem Officium, prout in choro hujusmodi Ecclesiae recitatur. Item nec alii Clerici saeculares nec regulares tenentur. n. 167 ad 1 et 2 die 30. Aug. 1602.

Si sunt Canonici et alii de gremio, extra civitatem et Dioecesim ex justis causis existentes, — decere; alii tales Clerici saecul. et regulares non tenentur. *Ibid.* ad 3.

Et qui sunt de gremio Ecclesiae, recitare debere, prout recitatur in choro. *Ibid.* ad 5.

2) Incensatio.

Vd. *Incensatio Cleri.*

3) Paratus.

Vd. *Processio* (Clerus paratus); *Canonici Cath. et Colleg.* (parati).

4) Saecularis et regul.

Quo loco incedit in processionibus?
Vd. *Processio.*

COADJUTOR.

1) Archidiaconi.

Absente vel impedito Archipresbytero ad Coadjutorem Archidiaconi, non ad alias Dignitates inferiores vel Canonicos ejusdem Ecclesiae pertinere illas functiones, actus et jurisdictiones facere, et exercere, quas faceret et exerceret quocunque jure ipse Archidiaconus, si praesens esset. n. 501 die 14. Jan. 1615.

Non licet Coadjutori Archidiaconi, primae Dignitatis, se ingerere in executione litterarum apostolicarum, quando diriguntur Archidiacono. n. 770 ad 1 die 28. Aug. 1628.

Vd. *Purificatio B. M. V.*

2) Canonicorum.

Coadjutor Canon. (Praecedent.)

a) Canonicus verus non est.

Coadjutores non esse vere Canonicos nec pro talibus habendos esse viventibus Coadjutis sed tantum post obitum Coadjuti; gaudere tamen omnibus privilegiis expressis in ipsa Coadjutoria. n. 345 ad 2 die 16. Sept. 1606.

Coadjutores non esse veros Canonicos nec pro talibus habendos esse viventibus Coadjutis, sed tantum post eorum obitum et in vim praedictae possessionis acceptae in vita Coadjuti non praecedere debere in choro, Capitulo et processionibus publicis veros Canonicos, qui post ipsos Coadjutores succedunt seu de Canonicatu provisusunt. n. 491 die 13. Junii 1614.

b) Distributio.

Non posse Coadjutores lucrari distributiones quotidianas, quando Coadjuti sunt praesentes ex quacunque causa. n. 306 ad 4 die 15. Apr. 1606.

Coadjutores lucrari distributiones quotid. absentibus Coadjutis ad commoditatem tamen et utilitatem Coadjuti. n. 325 ad 6 die 16. Sept. 1606.

Circa distributiones, quae dantur Canonicis vel Praebendatis, quando aliquas missas celebrant, Coadjutores eas non lucrari, nisi quando celebrant pro ipsis Coadjutis. n. 325 ad 3 die 3. Decb. 1616; n. 533 die 18. Mart. 1617.

S. C. mandavit, ut Coadjutores pro Coadjutis absentibus possint lucrari distributiones et supplere vicibus eorum. n. 2058 die 12. Junii 1660.

Coadjutor Canonici justa de causa immunis et exempti a choro, tenetur interesse ut Canonicus lucretur distributiones. n. 675 die 20. Febr. 1627.

Coadjuto infirmo deberi non distri-

butiones quotidianas de distributionibus capitularibus, sed de bursa ipsius tantum Coadjutoris non inservientis pro suo Coadjuto. n. 1235 ad 1 die 2. Julii 1640.

c) Hebdomadarius.

Canonicum juniorem juxta Ecclesiae consuetudinem et non Coadjutores debere Officium facere in locum Hebdomadarii absentis vel impediti. n. 306 ad 5 die 15. Apr. 1606.

d) Obligatio ad quod?

Vd. *Canonici* (Celebrantes); *Coadjutor Dignitatis* (Celebrans).

Coadjutores non teneri nec cogi posse, nisi ad onera dumtaxat Coadjuti. n. 1049 die 11. Maii 1638; n. 1340 die 17. Sept. 1641.

Coadjutores posse tantum obligari ad onera suorum Principalium, non autem etiam ad onera Canonicorum juniorum. n. 325 ad 7 die 16. Sept. 1606.

Teneri Coadjutores celebrare Missas, quas ex vigore Testamenti et Institutionis Capellaniae ipsi Coadjuti celebrare tenentur, quando Coadjuti legitime sunt impediti vel ob senectutem vel aegritudinem non possunt dictas missas celebrare. n. 325 ad 2 die 3. Decb. 1616.

Decreta (circa Coadjutores) ad Officia tantum divina, nempe ad assistentiam quarumcunque precum, officiorum et sacrificiorum divinorum, concionum, supplicationum et processionum: nullatenus vero ad sessiones capitulares vel alias quascunque Canonicorum Congregationes, quocunque nomine nuncupatas, eorumque congressus extendi. n. 2093 die 15. Jan. 1661; n. 3167 die 21. Aug. 1688.

Coadjutor non potest quidquam exercere invito vel nolente Coadjuto. n. 794 ad 3 die 20. Decb. 1628.

Coadjutorem praesente Coadjuto non habere personam assistendi in choro uti Canonicum. n. 1474 ad 1—3, et n. 1475 ad 1—3 die 26. Sept. 1643; n. 1551 ad 1 et 2 die 4. Mart. 1646.

Non licere Coadjutori in diebus, in quibus vacat a servitio Coadjuti, supplere vices Canonici obligati. n. 1488 die 5. Mart. 1644.

Non licet Coadjutoribus Canonicorum, absentibus vel impeditis Coadjutis, inservire pro Assistentibus Episcopo sol. celebrandi vel cum cappa Divinis interessenti. Sed hoc munus spectat et pertinet ad veros Canonicos ordine successivo. S. R. C. die 24. Maii 1636.

e) Pax.

Coadjutores pacem in ultimo loco post omnes veros Canonicos debere accipere. n. 525 ad 1 die 3. Decb. 1616.

f) Possessio.

Capitulum non potest ob senectutem vel aliam causam Coadjutores Canonicorum eximere et jubulare. n. 306 ad 1 die 15. Apr. 1606.

Coadjutorem debere habere post mortem Coadjuti novam possessionem nec sufficere primam possessionem vivente Coadjuto, superveniente tamen titulo Canonicatus post Obitum Coadjuti censi sibi mutasse causam possessionis, nisi aliud appareat.

Coadjutores, quibus non est data nova possessio post obitum suorum Principalium, esse tutos annales, triennales seu decennales possessores, si per annum, triennium vel decennium continuaverint in sua possessione post obitum Coadjuti.

Coadjutorem debere capere novam possessionem post mortem Coadjuti nec sufficere primam possessionem captam vivente Coadjuto. n. 517 die 30. Jan. 1616.

Secundum Coadjutorem, qui adeptus est possessionem Canonicatus per mor-

tem Coadjuti praecedere debere Coadjutori primo, qui nondum adeptus est possessionem. n. 679 die 13. Mart. 1607.

Coadjutori post mortem Coadjuti non suffragari possessionem captam in vita Coadjuti, sed opus esse nova possessione post mortem Coadjuti et ab hac ultima possessione esse regulandam praecedentiam sibi debitam uti vero Canonico. n. 1236 die 17. Julii 1640.

g) Praecedentia.

Cf. *Coadjutor Canon.* (Canon. verus non est; Possessio); *Coadjut. Dignit.* (Praeced.)

Coadjutorem in vim primae possessionis acceptae in vita Coadjuti, non praecedere in choro, Capitulo et processionibus publicis veros Canonicos, qui de novo ipsis Coadjutoribus succedunt sed durante vita Coadjuti debere remanere in ultima Sede post omnes Canonicos, sibi assignata tempore suae receptionis et ingressus. n. 325 ad 4 die 16. Sept. 1606; n. 1235 ad 2 die 2. Julii 1640; n. 2742 die 13. Julii 1675.

Coadjutores viventibus Coadjutis debere sedere post omnes Canonicos. n. 577 die 8. Decb. 1619.

Non licere Coadjutori sedere praesente Coadjuto supra Canonicos. n. 2934 die 11. Jan. 1681.

Coadjutores Canonicorum, qui non sunt vere Canonici viventibus Coadjutis, et sedere debent in ultimo loco post omnes Canonicos et quando aliquas functiones faciunt, quae pertinent ad suos Coadjutos, ut cantare lectiones, praeintonare antiphonas et similia, illas debere facere in novissimo loco, relinquendo praecedentiam ac locum digniorem in illis recitandis ac praeintonandis propriis et veris Canonici. n. 325 ad 1 die 3. Decb. 1616.

Non posse Coadjutores stare, sedere aut incedere inter Canonicos, quando assistunt vel incedunt Coadjuti. n. 1042 die 24. Maii 1636.

Licere Coadjutoribus etiam praesentibus Coadjutis, Divinis in choro interesse sed veris Canonici digniorem locum deferre, iisdemque supervenientibus stallum dimittere et si sedes sufficiant tantum veris Canonici, omnibus iisdem praesentibus vel supervenientibus a choro discedere Coadjutores teneri. n. 1882 die 6. Apr. 1658.

Coadjutoribus licere etiam praesentibus Coadjutis cum habitu canonicali Divinis caeterisque ecclesiasticis functionibus interesse, modo veris Canonici stalla non occupent, immo iis advenientibus, si stalla non supersint, ipsi Coadjutores a choro discedant. n. 1965 die 15. Febr. 1659.

Canonicis Coadjutoribus Calaritanae licere etiam praesentibus Coadjutis Divinis in choro interesse, dummodo stalla pro veris Canonici praesentibus vel pro Coadjutoribus, quorum Coadjuti abfuerint, supersint vel alii inchoato Officio advenientibus dimittentur. n. 2922 die 31. Aug. 1680; n. 3011 ad 1 die 23. Jan. 1683.

Coadjutori Canonici presbyteri debetur praecedentia super Canonicos Diaconos, dum pro suo Coadjuto Divinis interest. n. 1489 die 5. Mart. 1644. Inde dubitatur: an dicta declaratio procedat, etiamsi Coadjutores Canonicorum Ord. presbyt. non sint Sacerdotes sed in minorib. Ordinibus tantum constituti? S. C. resp.: Affirmative. n. 2496 ad 1 die 31. Maii 1670.

Coadjutori Canonici obtinentis praebendam presbyteralem locum deberi post omnes Canonicos, etiam inferioris Ordinis; verum cum Canonici s. vestibus induti fuerint, immediate post presbyteros eidem locum competere. n. 2188 die 20. Novb. 1662.

h) Privilegium.

Vd. *Coadjutor Canon.* (Canonici verus non est; decr. 325).

Coadjutores posse uti privilegiis concessis veris Canonici, veluti optandi beneficia et similibus pro dispositione statutorum ad utilitatem tamen et commoditatem Coadjuti. n. 325 die 16. Sept. 1606.

Ad dubium: an Coadjutor possit juvari beneficio regularum de annali? S. C. resp.: Necesse est, ut *lapsus* sit tempus unius anni juxta regulam de annali, et tempus unius triennii juxta regulam de triennali post admissionem ad Coadjutoriam. n. 794 ad 2 die 20. Decb. 1628.

i) Residentia.

Coadjutores non remanere exemptos seu liberos ab obligatione residendi, quando Coadjuti sunt infirmi vel alia causa impediti, per quam tamquam praesentes vigore statuti reputarentur; et Coadjutum residere debere, quando Coadjutor est absens vel ex quavis causa exemptus. n. 306 ad 2 et 3 die 15. Apr. 1606.

Coadjutorem non esse exemptum seu liberum ab obligatione residendi, quando Coadjutus legitime impeditus ratione infirmitatis vel alterius excusationis vult haberi pro praesente. Et ideo Punctatorem chori posse punctare Coadjutum etiam legitime impeditum, quando Coadjutor non vult residere, ad damnum tamen ipsius Coadjutoris juxta formam Coadjutoriae. n. 325 ad 8 die 16. Sept. 1606; n. 535 die 8. Maii 1617; n. 584 die 4. Apr. 1620; n. 3148 die 20. Sept. 1687.

k) Suffragium passivum.

Ad dubium: an debeat Canonici Coadjutor passiva Suffragia obtinere in electionibus Capitularibus, postquam vota habuit Coadjutus? S. C. resp.: *Negative.* n. 3011 ad 2 die 23. Jan. 1683.

l) Thurificatio.

Coadjutores Canonicorum thurificationem in ultimo loco post omnes veros Canonicos debere accipere. n. 525 ad 1 die 3. Decb. 1616.

Vd.: *Incensatio Cleri; Canonici Cath.* (Incensatio).

3) Dignitatis.

a) Celebrans.

Cf. *Diaconus Coadjutoris; Coadjutor Dignit.* (Praeced.); *Coadjutor Canon.* (Oblig.)

Teneri Coadjutores celebrare missas, quas ex vigore Testamenti et institutionis Capellaniae ipsi Coadjuti celebrare tenentur, quando Coadjuti sunt legitime impediti vel ob senectutem vel aegritudinem non possunt dictas missas celebrare. n. 525 ad 2 die 3. Decb. 1616.

Coadjutori licere absente vel impedito Coadjuto celebrare, et impediti non posse. n. 1634 die 2. Mart. 1652.

Functiones Episcopales absente vel impedito Episcopo ad Praepositum uti primam Dignitatem ac ipso absente, ad ejus Coadjutorem spectare. n. 597 die 8. Maii 1621.

Coadjutorem praefendum esse caeteris Dignitatibus in obeundis muneribus, quae spectant ad Coadjutum. n. 1820 die 9. Junii 1657. n. 1841 die 15. Sept. 1657; n. 2183 die 5. Aug. 1662.

In exercitio Ordinis, scilicet in Missarum et Divinorum operatione, quae alias ad Coadjutum pertinent, praefendum esse Coadjutorem primae Dignitatis caeteris Dignitatibus inferioribus. In reliquis vero omnibus dictis Dignitatibus postponendum fore. n. 1904 die 13. Julii 1658.

Functiones Episcopales absente vel impedito Episcopo ad Praepositum uti primam Dignitatem, ac ipso absente ad ejus Coadjutorem spectare. n. 597

die 8. Maii 1621; n. 1607 ad 2 die 24. Apr. 1649.

Absente vel impedita prima Dignitate ejus munia ad ipsius Coadjutorem privative quoad caeteras Dignitates pertinere. n. 1814 die 10. Mart. 1657; n. 2183 die 5. Aug. 1672; n. 2371 die 10. Apr. 1666; n. 4265 ad 2 die 15. Mart. 1757.

b) Praecedentia.

Cf. *Coadjutor Canon.* (Praeced.)

Orta controversia de Praecedentia inter Canonicos Coadjutores Praepositi Colleg. de Borgomainerio in Ord. sacerdotali constitutos, Curatos nuncupatos, et reliquos Canonicos inferioris Ordinis ejusdam Collegiatae praetendentes, non competere dictis Coadjutoribus praecedentiam, nisi in functionibus et actibus capitularibus ad curam animarum spectantibus. S. C. resp.: Tribus Coadjutoribus in omnibus functionibus praecedentiam debere. n. 3214 die 22. Apr. 1690.

Coadjutori Dignitatis debere eundem locum, Coadjuto absente, eisdemque Insignibus uti posse, quibus utitur Coadjutus n. 690. die 12. Junii 1627.

Coadjutorem praefarendum esse caeteris Dignitatibus in obeundis muneribus, quae spectant ad Coadjutum; in sessionibus vero et subscriptionibus caeterisque praelationis actibus semper posthabendum esse omnibus Dignitatibus quamvis Coadjuto inferioribus superstiti Coadjuto. n. 1820 die 9. Junii 1657.

Stallum in choro et locum in processionibus eundem competere Coadjutori Dignitatis, qui competeret Coadjuto. n. 794 ad 1 die 20. Decb. 1628; n. 1235 ad 2 die 2. Julii 1640.

Coadjutorem Dignitatis absente Coadjuto, in choro et processionibus debere praecedere omnes alios, etiam Dignitates, quos et quas praecederet

Coadjutus, si praesens esset. n. 921 die 5. Julii 1631.

Coadjutori Decani, (primae Dignitatis) assignandum esse ipsomet locum, in quo sederet suus Coadjutus, si praesens esset, et praecedere debere omnes alios de Capitulo. n. 1168 die 2. Julii 1639.

In Ecclesia Nierensi, in qua sex Dignitates et tres Canonici existunt, et praebendae sunt omnes presbyterales Coadjutori primae Dignitati debere ultimum locum post omnes Dignitates. n. 1522 die 26. Novb. 1644; n. 2183 die 5. Aug. 1662. Idem decr. pro Eccles. Metrop. Banon. n. 4265 ad 1 die 15. Mart. 1757 cum appendice: tam absente, quam praesente Coadjuto.

Coadjutorem Dignitatis etiam primae posse interesse ecclesiasticis functionibus praesente Coadjuto sed sedere debere post omnes Dignitates. n. 1974 die 29. Mart. 1659; n. 2387 15. Jan. 1667.

Coadjutorem Praepositi in processionibus et in choro locum habere immediate post omnes dignitates et supra Canonicos, dummodo supersint stalla pro veris Canonicis. n. 2141 die 3. Decb. 1661.

Praevio recessu a decisis sub dieb. 15. Jan. et 2. Apr. 1667. Coadjutores Dignitatum absentibus Coadjutis stare et incedere debere in stallo Coadjuti tam in choro quam extra et amplius. n. 3898 die 17. Apr. 1717.

Coadjutores Dignitatum, praesentibus Coadjutis, sedeant post omnes Canonicos, quibuscumque decretis in contrarium non obstantibus. n. 2871 die 27. Jan. 1679.

Coadjutori Dignitatis in choro, caeterisque actibus capitularibus locum debere post omnes Dignitates tum praesente tum absente Coadjuto; in *capitulo* vero praesente Coadjuto

Coadjutorem voce carere. n. 2161 die 1. Apr. 1662.

Coadjutori primae Dignitatis locum debere in choro, processionibus caeterisque ecclesiasticis functionibus post omnes Dignitates. Ad ipsum tamen spectare functiones, quae eidem Coadjuto competere, si praesens esset, nisi literis apostolicis secus cautum fuerit. n. 2200 die 23. Decb. 1662. Idem decretum est n. 2261 die 26. Jan. 1664 cum appendice: „Ideoque non licere eidem praecedere Archidiacono, qui est secunda Dignitas in Ecclesia Tudertina.“

Coadjutori Dignitatis in Colleg. S. Nicolai debere locum in choro post omnes Dignitates, si ipsae Dignitates non habeant locum *fixum* sed gradatim ascendunt; si autem habeant locum perpetuo fixum debere proprium ipsius Dignitatis coadjutae nisi aliter in literis apost. provisum fuerit. n. 2426 die 19. Novb. 1667.

Ad dubium: an Coadjutor Dignitatis, qui sit insimul Coadjutor Canonicatus, praecedere debeat Canonicos antiquiores tam in sedendo quam in votando in Capitulo, seu potius habere locum destinatum suae Coadjutoriae et dare votum in eodem loco? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3856 ad 4 die 26. Aug. 1723.

Ad dubium: an Dignitates et eorum Coadjutores, sive sint sive non sint Canonici, praecise a functionibus chori et processionum, in caeteris congressibus extra Cathedrali, ubi Canonici capitulariter solent concurrere, debeant Canonicos omnes praecedere, quamvis sint juniores vel teneantur primum locum cedere antiquioribus vel ab hujusmodi ingressibus sese abstinere? S. C. resp.: affirmative quoad primam partem, negative quoad

Decreta authentica.

secundam. n. 3856 ad 5 die 26. Aug. 1713.

c) Sedes.

SENOGALLIEN.

Capitulum Colleg. Eccl. Montisbodii in Senogalliensi Dioecesi recenter erectum, praeter Canonicos, tribus constat Dignitatibus, inter quas tertia est Praepositura et actualis Praepositi Coadjutor est Sacerdos Joannes Menchetti, qui dum Choro adest, absente Coadjuto, nullo obsistente, Praepositi Stallum occupat. Quaestio autem non levis inter eos est, dum assistit Choro praesente Praeposito Coadjuto; nonnulli siquidem opinantur sedere debere post Dignitatem, dum alii autumant, post omnes Canonicos. Ad litem legitime componendam humillimis datis precibus S. R. C. rogarunt pro solutione sequentis Dubii, nimirum: „An moderno Coadjutori Praepositi tertiae Dignitatis Colleg. Eccl. Montisbodii, etiam praesente Coadjuto competat, sedere in choro post omnes Dignitates seu potius post omnes Canonicos? Et S. C. Ordinariis in Comitibus ad Quirinales Aedes coadunata, percepta relatione ab Emo et Rmo D. Card. Gabriële Ferretti Ponente facta, exquisitoque voto alterius ex Apost. Caeremoniarum Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, omnibus mature consideratis, riteque libratis, rescribendum censuit: Juxta votum Magistri Caeremoniarum“, nimirum: „Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.“ Atque ita rescriptis, ac servari mandavit in supra dicta Colleg. Eccl. Montisbodii. n. 4945 die 24. Sept. 1842.

Coadjutores Dignitatum (Colleg. s. Aemiliani Trebii) sedere debere post omnes Dignitates. n. 4967 die 17. Junii 1843.

4) Episcopi.

a) Celebrans.

Coadjutor potest de *consensu Ordinariorum* jurisdictionem habentium, ubicunque Pontificalibus uti. n. 96 die 30. Sept. 1596.

Coadjutorem Archiepiscopi Caesar-august. solemniter celebrantem in Ecclesia Caesaraug. contentum esse debere Ministris solitis, id est Diacono, Subdiacono et uno Capellano, cum Pluviali, qui ei assistat ad librum. n. 312 die 9. Maii 1606.

b) Sedes.

Coadjutor cum futura successione in Synodo Provinciali sedeat juxta tempus suae Promotionis. n. 95 die 30. Sept. 1596.

Vd. *Synodus*.

5) Poenitentarii.

Deberi eidem Coadjutori locum in sede fixa ejusdem Poenitentarii. n. 1280 die 12. Jan. 1641.

6) Primicerii.

Coadjutorem primi Primicerii exercentem functiones pro primo Primicerio non in stallo proprio ipsius primi Primicerii Coadjuti, sed in stallo secundi Primicerii exercere, stare, sedere et incedere debere; secundum vero Primicerium absente vel impedito primo Primicerio stare, sedere etc. debere in loco primi Primicerii; nec non, vacante stallo primi Primicerii, secundum Primicerium statim subintrare stallum et locum primi Primicerii juxta Cathedralis Monopolitanae consuetudinem. n. 965 die 17. Julii 1632.

Coadjutorem Primicerii in Cathedr. Lauretana sedere debere in choro post omnes alias Dignitates. n. 2409 die 2. Apr. 1667.

COADJUTRIX.

Vd. *Abbatissa*.

COCHLEAR.

Usus cochlearis parvi pro aqua in calicem infundenda non est de praeepto rubricae. S. R. C. 7. Sept. 1850.

COELESTINI ABBATES.

Vd. *Missa privata Abbatis; Usus Pontificalium*.

COEMETERIUM.

Vd. *Bened. et Reconcil. Eccles.*

COENA DOMINI.

1) Clavis pro Tabernaculo.

Vd. *SS. Sacramentum* (asservatio in Coena D.)

Nequaquam Gubernatori civitatis clavem esse consignandam, sed potius illi Dignitati vel Canonico, qui in crastinum fer. VI. in Parasceve erit celebraturus. n. 420 die 30. Jan. 1610; n. 2257 die 26. Jan. 1664.

Clavem, quae Inquisitori tradebatur, consignandam esse Sacerdoti in crastinum celebraturo. n. 720 die 29. Jan. 1628; n. 4986 ad 4 die 7. Decb. 1844.

SS. Sacramentum Fer. V in Coena Dom. sub unica tantum clave asservari debere, retinenda per Sacerdotem in crastinum celebratum et nullo modo apud personas laicas et saeculares, cujuscunque status, gradus et conditionis existant, non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusum esse. Hoc decretum afficere omnes Ecclesias tam saeculares quam regulares, quovis modo a jurisdictione Ordinarii exemptas. n. 940 die 6. Decb. 1631; n. 1048 die 22. Novb. 1636; n. 4069 die 7. Decb. 1737; n. 4179 die 11. Decb. 1745; n. 0c29 die 14. Junii 1845.

MELITEN.

Precibus Carmelitarum antiquae Observantiae Civitatis Vallettae Dioecesis Meliten. exquirentium confirmationem conventionis initae cum Sodalitate B. M. V. ibi erectae, in qua statuitur ut clavis Tabernaculi SSmi. Sacramenti Feria V. in Coena Domini tradatur custodienda Priori ejusdem Sodalitatis; Emus: et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. C. Vice Cancellarius, et S. R. C. Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo. D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: „Obstare Decreta hujus S. C.“ n. 4923 die 22. Maji 1841.

Apponi non debet Sigillum in Ostiolo, ubi fer. V. in Coena Dom. reconditur SSmm. n. 4986 ad 1 die 7. Decb. 1844.

2) Communio.

a) Cleri Obligatio.

Vd. *Stola Sacerdotis communicantis; Purificatio B. V. M.* (ordo accipiendi . . . Laicorum, decr. n. 4338); *Officia hebdom. maj.* (in paroch.; decr. n. 4583).

Episcopus potest et debet cogere Clerum Cathedralis ad sumendam ex ejus manibus in Coena Dom. infra Missarum solemniam sacram Communionem et quoscunque Sacerdotes in benedictione Oleorum ministrantes. n. 1817 ad 1 die 10. Mart. 1657.

Sacerdotes vocatos ad ministrandum in consecratione ss. Oleorum in coena Domini teneri s. Communionem accipere e manu Episcopi celebrantis. n. 1846 die 15. Sept. 1657.

Cadente festo s. Josephi in fer. V. in coena Dom. propter praeeptum audiendi missam aliquae missae privatae celebrandae sunt, sed tamen propterea communicatio Cleri in missa

Clavem, sub qua reconditur SS. Sacramentum in Sepulchro fer. V. in coena Dom., esse consignandam Sacerdoti celebraturo in die sequenti fer. VI. Parasceve. n. 987 die 9. Julii 1633.

Clavem Tabernaculi, in quo SS. Sacramentum in fer. V. in coena Dom. asservatur, nequaquam Laicis etiam illustribus tradendam esse sed potius Dignitati vel Canonico in crastinum celebraturo. n. 1412 die 13. Sept. 1642.

Rectorem Ecclesiae parochialis (praefato) Matthaeo clavem tabernaculi tradere non teneri. n. 1890 die 3. Aug. 1647.

Claves custodiae SSmi. in fer. V. hebdom. s. in Cathedr. Conversan. retinendas esse per Sacerdotem in crastinum celebratum, non autem a Laico, cujuscunque sit Dignitatis, etiam existente consuetudine in contrarium. n. 2434 die 21. Apr. 1668. Idem decret. pro civitate Lorcitana. n. 4007 die 15. Mart. 1732.

Non permittendum est Cancellario Theatinae in coena Dom. publico civitatis sigillo obsignare arcam, in qua repositum est s. Corpus Dom., illudque sigillum sequenti die inter s. Solemnia publice inde auferre. n. 3752 die 18. Sept. 1706.

Ad dubium: Num. Feria V. in Coena Domini, postquam SSmm. Eucharistiae Sacramentum reconditum est in Sepulchro, Clavis Tabernaculi hujus Sepulchri tradenda sit a Canonico Assistente Priori Sodalitatis SSmi. Sacramenti inibi erectae, qui eam deferat ad collum appensam usque ad S. Functiones insequentis Fer. VI. in Parasceve, uti in praesentiarum fieri assolet?

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . . rescribi mandavit: „juxta alias decreta Clavem in casu nulli esse omnino tradendam.“ n. 4918 ad 1 die 22. Maji 1841.